



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

5. Conscientiæ tormenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Fltrices cura, luctus, morbi, senectus, timores, pauperies, mors, pe-
fiferi sunt fructus arboris illius, cuius pomum à protoplastis sceleratè de-
cerptum, sceleratius fuit comestum. Quæ tamen omnia non penetrant
illum animum, cui gaudium surgit ex bona conscientia, ex honestis confi-
liis, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido vitæ, &
continuo tenore unam prementis viam. Ita Stoicus doctè & fortiter.

V. *Monstra in limine Tartari. 6. Æneid.*

(e) Quid autem sunt illa monstra, *Gorgones, Hydra, Chimera, Harpyie*
Centauri &c. quibus Æneas strictam aciem venientibus offert? Respon-

deo, esse scelerum portenta, & inde orta conscientia tormenta, quæ tor-

quent reos in ipso Tartari vestibulo, hoc est, in illa infelicis æternitatis

vicinia, in extremo scilicet vitæ articulo, veluti quædam illarum pœna-

rum præludia, quæ mole sese immensa inferorum cruciatibus sempiter-

nis infundent. Per *Centavros* intellige libidinosos, ex homine & bestia

compositos, lascivia adhinnientes: per *Scyllam & Harpyias*, avaros ac ra-

paces: per flammis armatam *Chimeram*, feroces & iracundos: per bel-

luam *Hydra*, pigros & ignavos, velut in *Lernæa* palude natos & enutri-

tos: per *Gorgones* anguineas, & uno tantum oculo præditas, invidos &

livoris veneno infectos: per tricorpoream *Geryonem*, gulosos & in pastum

abjectos, abdominis manicipia; per centimanum *Briareum*, superbos &

ambitiosos, longè latèque cupiditates suas extendentes. Omnes hi ver-

santur in *Orci* limine; & vitiorum monstrositate, turpitudinem vitæ præ-

senti, & pœnas futuræ accersunt æternas. Contra hæc monstra strenuè

damicandum, & Æneæ gladio utendum:

Tu ne cede malis, sed contrà audentior ito.

Ènse recidendum malum est, id est, non timide, non molliter, sed

generoso mentis robore resistendum depravatæ naturæ insultibus, & ad-

versus vitiorum impetus obsirmandus animus. Neque frustra dicuntur

hæc Portenta, in *Orci* vestibulo stabulari, illisque objici, qui cum Ænea

per multas difficultates ad campos *Elysios* tendunt: significatur enim, ad

virtutem, & felicitatem inde nascentem, perveniri non posse, nisi in ipso

limine, hoc est, primis malarum commotionum initiis, & aggressionibus,

strenuè repugnetur.

VI. *Fluvij infernales. 6. Æneid.*

(f) Jam terribili squalore *Charon*, *Erebi* & *Noctis* filius, cum cymba sua

futili, & infernalibus fluviiis nobis est inspiciendus. *Charon* nomen habet

à latitia, scilicet per antiphrasin, ut *Parce parcunt, Luci lucent*, fingitur

Ppp

truci

(e) Conscientia tormenta. (f) Inferorum horror.